

ginalis ad originale peccatum. Sed concupiscentia actualis est ipsum actuale peccatum. Ergo & concupiscentia quae per originem trahitur, est originale peccatum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in quolibet peccato est invenire aliquid (1) quasi formale, & aliquid quasi materiale. Si enim consideremus peccatum actuale, ipsa substantia actus deordinati materialiter in peccato se habet; sed deordinatio a fine, formale in peccato est, quia ex hoc rationem mali praecipue habet: unde dicitur, quod conversio ad bonum commutabile, est ibi sicut materiale, & aversio a bono incommutabili, est sicut formale: & hoc contingit ex hoc quod etiam in actu perfectio virtutis ex ordine ad finem est forma actus. Sicut iterum peccatum actuale consistit in deordinatione actus, ita etiam peccatum originale consistit in deordinatione naturae. Unde oportet quod ipsae (2) vires deordinate, vel deordinatio virium, sint sicut materiale in peccato originali; & ipsa deordinatio a fine sit ibi sicut formale. Illa autem pars quae per se nata est conjungi fini, est ipsa voluntas; quae habet ordinem finis omnibus aliis partibus imponere: (3) & ideo destitutum ipsius voluntatis ab illa rectitudine ad finem quam habuit in institutione naturae, in peccato originali formale est: & hoc est privatio originalis iustitiae. Vires autem appetitus sensibilis sunt natae recipere ordinem ad finem ab ipsa voluntate, secundum quod sibi subjectae sunt; & ideo subtractio illius vinculi quodammodo sub potestate voluntatis rectae detinebantur, materiale in peccato est. Ex hac autem subtractione sequitur quod unaquaeque vis in suum objectum inordinate tendat, concupiscendo illud: & ideo concupiscentia quae habiles sumus ad male concupiscendum, peccatum originale dicitur, quasi materiale in peccato originali existens. Est enim considerare materiale, & formale in actibus moralibus, sicut in rebus artificialibus, in quibus materia de toto praedicatur; ut possit dici: Cultellus est ferrum: & similiter de peccato praedicari potest illud quod est materiale in ipso, & per hunc modum peccatum originale concupiscentia dicatur.

Ad primum ergo dicendum, quod concupiscentia dicitur dupliciter, scilicet ipse actus concupiscendi, & ipsa habitus ad concupiscendum; & actus ex habilitate causatur: unde non est inconveniens, si peccatum originale, quod concupiscentiam actualem causat, habitualis concupiscentia esse dicitur.

Ad secundum dicendum, quod differt dicere potentem, & habitum: quod enim aliquis sit potens concupiscere, est ex potentia concupiscibili; sed quod sit habilis ad concupiscendum, est ex aliquo habitu, vel ex eo quod per modum habitus se habet. Contingit enim ut etiam privatio aliqua habilitatem quandam relinquat, in quantum privatur aliquid quod impedimentum praestare posset: & ita dicitur concupiscentia habitualis esse peccatum originale: non quidem vis concupiscibilis, neque iterum aliquis habitus qui aliquid positive dicat; sed ipsa habitus quae relinquuntur in inferioribus viribus ad inordinate concupiscendum, ex hoc quod ab appetitu subtrahitur, reipsum rationis, quo detinebatur ne effragate posset in sua objecta tendere.

(1) Al. quasi formam, & aliquid materiale. (2) Al. vires deordinatio virium sint. (3) Al. & tunc.

Ad tertium dicendum, quod concupiscentia non dicitur esse materiale in peccato, secundum quod denominatur a vi concupiscibili, quae contra irascibilem dividitur; sed secundum quod sumitur ab appetitu sensualitatis, qui in utramque vim dividitur, scilicet irascibilem; & concupiscibilem.

Ad quartum dicendum, quod ut in II. Physic. text. LXXXII. dicitur, peccatum contingit in his quae ad finem ordinata sunt, secundum quod a suo deficiunt: & ideo in partibus animae in illis praecipue est peccatum hominis secundum quas homo ordinatur in finem: & quia appetitus est tendens in finem, ideo in appetitu praecipue peccatum consistit. Ad finem autem hominis ordinatur appetitus rationis, qui est voluntas, immediate; appetitus autem sensibiles mediate, in quantum scilicet ordinem finis ex voluntate rationis recipiunt, propter quod dicitur aliquantulum rationi obaudibiles, ut Philosophus dicit in fine I. Eth. cap. XVII. & ideo defectus ordinis in appetitu voluntatis est formale; & completivum originalis peccati, quod est privatio rectitudinis voluntatis, quae inerat secundum originale iustitiam; defectus autem ordinis in appetitu inferiori, est materialiter in peccato se habens; & hoc est concupiscentia, ut dictum est: & ideo nullus alius defectus naturae ex parte rationis, nec ex parte sensibilis partis, originale peccatum dicitur, nisi concupiscentia sicut materiale, & privatio originalis iustitiae sicut formale.

Ex quo patet responsio ad quintum: quia ignorantia non per se respicit voluntatem: unde etiam defectus ille sicut et alii retinent rationem poenae, sed non culpae: & si inveniantur ignorantiam originale peccatum dici, intelligendum est de ignorantia privante illam scientiam quae includitur in originali iustitia: nullus enim est iustus, vel temperatus, qui non sit prudens, ut in VI. Eth. cap. XVII. dicitur: & ad hoc attendens Socrates dixit, omnem virtutem esse scientiam; & omne vitium esse ignorantiam, ut ibidem narratur.

Q U A E S T I O II.

Unde quaeritur de transfectione carnis a parentibus; per quam originale peccatum trahitur: & circa hoc quaeruntur duo.

Primo. Utrum alimentum in veritatem humanae naturae convertatur.

Secundo. Utrum ex alimento semen decidatur.

A R T I C U L U S I.

Utrum alimentum transeat in veritatem humanae naturae.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod alimentum in veritatem humanae naturae non transeat. Quidquid enim sumptum emittitur, ad veritatem humanae naturae non pertinet, quae semper eadem manet. Sed omne quod per os sumitur, in ventrem vadit, & in secessum emittitur, ut dicitur Math. xv. Ergo nutrimentum quod per os sumitur, in veritatem humanae naturae non transit.

2. Praeterea. Veritas uniuscuiusque rei est in eo quod secundum speciem est. Illud autem quod per modum nutrimenti advenit, per modum materiae se habet, ut in II. de generat. text. L. dicitur. Sed

caro secundum materiam non fit caro secundum speciem, ut ex I. de generat. text. LXXXIII. patet. Ergo nutrimentum in veritatem humanae naturae non transit.

3. Praeterea. Illud ad veritatem humanae naturae pertinet in quo calor conveniens radicatur. Sed tale humidum, ut Medici dicunt, consumptum non restauratur, ut patet in his qui tertia specie haectica laborant, quae incurabilis est ex eo quod tale humidum non restauratur. Cum igitur omne illud in quod alimentum convertitur, post consumptionem restaurari possit, videtur quod nutrimentum in id quod proprie ad veritatem humanae naturae pertinet, non mutetur.

4. Praeterea. Omne id in quod cibus convertitur, etiam per calorem continuo agentem dissolvitur, ut fluens, & refluens idem iudicetur. Sed non potest esse quod totum quod est in corpore, sit fluens, & refluens, ut probabitur. Ergo oportet aliquid in corpore esse manens in quod alimentum non convertatur. Hoc autem praecipue ad veritatem humanae naturae pertinet. Ergo alimentum in id quod per se est de veritate humanae naturae, non mutatur. Probatio media. Si non esset aliquid permanentis fixum in corpore humano, tunc contingeret quod qualibet pars eius posset evanescere, aliquo alio in eius locum substituto; & per eandem rationem sic contingeret in toto sicut in qualibet eius parte. Contingeret ergo quod de illa materia quae primo fuit in corpore alicujus hominis, nihil in fine remaneret. Sed varietas individui est ex varietate materiae. Ergo non esset unus numero homo in fine vitae, & in principio: quod est absurdum.

5. Praeterea. Nulla virtus naturalis debilitatur multiplicata materia sibi convenienti, sed solum per admixtionem alicujus extranei. Sed virtus conversiva in homine debilitatur in fine vitae: alias homo in infinitum posset augeri, & vivere. Ergo hoc contingit per admixtionem extranei. Sed nihil admiscetur ad materiam illam in qua virtus conversiva prius fundabatur, nisi quod est ex alimento generatum. Ergo hoc quod est ex nutrimento generatum, est extraneum ei in quo veritas naturae fundatur; & sic idem quod prius.

6. Praeterea. Natura facit unumquodque facilius modo quo fieri potest. Deus autem multo ordinatus quam natura operatur. Cum igitur facilius modus augmentandi aliquid sit per multiplicationem materiae quam per conversionem alterius in id quod augetur, videtur quod iste modus divinae providentiae competat, ut scilicet corpus humanum augeatur nullo exteriori in illud transeunte, sed sola eius materia multiplicata; & sic idem quod prius.

7. Praeterea. Ea quae sunt unius speciei, per eandem rationem suam complementum consequuntur. Sed quidam parvuli defuncti in resurrectione perducentur in completam quantitatem, non per additionem nutrimenti, sed per multiplicationem materiae. Ergo etiam hoc modo alii homines in quantitatem completam perducentur; & sic idem quod prius.

Sed contra est, quia secundum Philosophum I. de generat. text. xli. nihil nutriti carnem nisi quod est potentia caro. Sed omne quod est in potentia ad aliquid, mutatur in id per actionem eius quod est in actu. Ergo nutrimentum in illam carnem quae ad veritatem naturae pertinet, transmutatur.

Praeterea. Nutrimentum in principio est dissimi-

(1) Al. hujusmodi nati. (2) Nicolai omittit etiam.

le, sed in fine est simile; cum nihil nisi suo simili nutriatur, & foveatur. Sed illa sunt similia quae eandem formam communicant. Cum igitur veritas naturae a forma sit, videtur quod illud quod nutrit, in fine ad veritatem naturae ipsius nutriti perducatur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc sunt multae opiniones.

Quidam posuerunt, ut in littera Magister sentire videtur, quod illud quod ex parentibus decisum est, est illud solum in quo veritas (1) hominis nati consistit. Hoc autem in majorem quantitatem excrescit omnino salvatur; ita quod nihil sibi additur, ut majorem quantitatem recipiat; sed tota quantitas hominis completi per multiplicationem illius materiae efficitur: & hoc tantum esse dicunt quod in resurrectione resurget; reliquum autem quasi superfluum deponetur. Ponunt etiam, alimenti sumptionem necessariam esse, non quidem ad augmentum, ut nutritiva augmentativa deserviat, neque iterum ad restorationem deperditi, sed solum in fomentum caloris naturalis; sicut quando liquefit aurum, admiscetur sibi plumbum, & aurum consumatur, sed solum plumbum. Haec autem positio irrationalis videtur ex duobus, scilicet ex parte eius quod augetur, & ex parte alimenti quod advenit. Non enim potest fieri augmentum, nisi secundum hoc quod materia quae primo est terminata sub parvis dimensionibus, postmodum ad majores dimensiones perducitur. Hoc autem non potest fieri nisi dupliciter. Vel ita quod de materia sit tantum sub magnis dimensionibus quantum sub parvis; & talis mutatio de parvo in magnum necessario fit per rarefactionem: densum enim, & rarum in hoc differunt quod in raro est parum de materia sub magnis dimensionibus, & in denso multum sub parvis, ut ex IV. Physic. text. LXXXIV. patet. Vel ita quod plus de materia sit sub magnis quam sub parvis. Hoc autem non potest contingere, nisi vel quia est materia de novo creata, vel per hoc quod illud quod erat materia alterius corporis, efficitur materia hujus, in hoc illo corpore transmutato. Unde etiam Augustinus super Genes. ad litteram Lib. X. cap. xxvi. circa fin. dicit, quod nihil est absurdius quam putare ullum esse corpus quod manente natura sua quantitate, undique crescat, nisi rareseat; cum nullum fiat augmentum corporis nisi per additionem, vel rarefactionem. Augmentum autem corporis humani constat quod per rarefactionem non fit: nec iterum per additionem materiae de novo creatae, quia materiam omnium simul creavit Deus, ut Sancti dicunt. Restat ergo ut fiat augmentum humani corporis per hoc quod additur materia quae suberat formae alterius corporis, illo corpore in corpus humanum secundum veritatem converso: & hoc est nutrimentum. Nec potest exponi dictum Augustini, ut quidam dicunt, quod Augustinus loquatur secundum communem modum quo res crescunt: quia secundum hoc probatio sua contra Tertullianum nihil valeret, qui ponebat animam crescere, sed nullo modo diminui. Magis autem communis est modus augmenti quo corpus humanum crescit, quam quo anima cresceret: simul enim (2) etiam secundum Tertullianum, crescente corpore, crescit anima. Nec iterum potest dici, sicut dicunt, quod facienda est vis in hoc quod dicit:

(1) Al. hujusmodi nati. (2) Nicolai omittit etiam.

Manente sua quantitate; ut sit sensus: Corpus manens in sua quantitate, ita quod quantitas eius non sit augmentata neque per additionem, neque per multiplicationem, non crescit nisi per rarefactionem. Cum igitur augmentum proprie sit quantitatis, non potest intelligi quod corpus crescat, & maneat eius quantitas secundum eandem dimensionem; sed oportet intelligi quod dicitur: *Manente quantitate naturæ suæ*, ut nulla quantitas adjiciatur, vel quæ ejusdem naturæ sit, sicut aurum adjungitur auro, vel quæ eandem naturam in ipsa conjunctione accipiat, sicut cibus advenit carni. Unde per hoc quod dicitur: *Manente naturæ suæ quantitate*, non remouetur nisi additio similis in natura. Si enim intenderet remouere multiplicationem, tunc probatio sua nihil valeret: quia multo probabilius posset dici, si anima esset corpus, quod per multiplicationem quam ponunt, cresceret, quam dicatur de corpore hominis: quia spiritualior est. Ex parte autem ejus quod additur, apparet etiam falsitas; quia (3) si sumptio alimenti non esset per se intentia à natura, sed per accidens tantum, ut scilicet alicui nocivo occurreret, scilicet calori naturali digerenti; & si transmutatio cibi non esset per se necessaria ad corpus humanum; tunc calor conuertens esset superfluum: & sic in operibus naturæ à Deo (4) insituta multa superflua inuenirentur.

Sustinentes tamen hanc positionem tres modos adinueniunt in ejus assertionem, quorum quemlibet facile est confutare. Quidam namque dicunt, quod hæc talis multiplicatio fit miraculose operatione diuina, sicut etiam panes evangelici multiplicati sunt, Joan. vi. Sed istud expressam continet falsitatem, dum opus naturæ in miraculum conuertitur. Et præterea etiam in illorum panum multiplicatione non est remotum, immo forte est necessarium factam fuisse additionem materiæ per conuersionem aliorum corporum in panes virtute diuina. Istam autem conuersionem cibi in carnem veram, natura facere potest, quæ transmutat id quod est in potentia, (5) in id quod est in actu; quamvis successive compleat quod Deus subito facit. Quod autem naturæ possibile est, operationi naturæ à Deo committitur, qui unicuique dat perfectionem secundum quod capax est: unde non oportet ad miraculum conuigere.

Alii dicunt, cum in corpore humano sit multum de quinta essentia, multiplicatio corporis humani est, secundum quod multiplicatur quinta essentia: unde sicut lux solis multiplicatur in seipsa diffusa per aerem, ita etiam corpus humanum sine additione alicujus extrinseci. Sed hæc adinuentio continet duas falsitates. Prima est, quia corpus quintæ essentiæ non venit in compositionem humani corporis nisi secundum virtutem tantum: cum neque sit commiscibile, neque divisibile, neque extra locum proprium possit esse. Secunda est, quia diffusio lucis non est per multiplicationem alicujus materiæ, cum lumen non sit corpus, sed est multiplicatio formalis tantum, sicut est etiam in qualibet alteratione, & generatione, quod agens multiplicat formam suam in materia.

Alii vero alium modum adinueniunt: dicunt enim, quod materia prima, quantum in se est, caret omni quantitate, & forma: ergo æqualiter se habet ad recipiendum omnes quantitates, sicut ad recipiendum omnes formas. Unde quantumcumque parum sit de materia prima, in quouis paruo corpo-

re, potest recipere quantumlibet quantitatem; adeo quod ex grano milii totus mundus fieri potest. Nec mirum, cum ex materia punctali totus mundus sit factus: cum enim materia quantitate careat, indivisibilis est, & ad modum puncti se habens. Iste autem modus multipliciter deficit. Primo quia imaginatur indivisibilitatem materiæ ad modum puncti, ut sic ex materia mundus sit factus per quamdam quasi extensionem, sicut si res parua in magnam extendatur. Hoc autem non est verum. Materia enim dicitur indivisibilis per negationem totius generis quantitatis. Punctus autem est indivisibilis, sicut quantitatis principium, situm, determinatum habens. Unde ex materia res quanta efficitur, non per extensionem (loquendo de materia prima) cum extensio non sit nisi ejus quod alicujus quantitatis erat, sed per quantitatis susceptionem. Secundo etsi prima materia, prout in se consideratur, nullam quantitatem habeat, non tamen sequitur quod sit in potentia respectu cujuslibet quantitatis imaginabilis. Cum enim quantitates determinatæ, & omnia alia accidentia secundum exigentiam formæ materiæ recipiant, eo quod subjecta materia cum forma est causa eorum quæ insunt, ut in I. Phys. text. lxxx. dicitur, oportet quod materia prima ad nullam quantitatem sit in potentia, nisi quæ competat formæ naturali, quæ in materia esse potest. Materia vero prima non est in potentia ad alias formas nisi ad illas quæ sunt in rerum natura, vel per principia naturalia educi possunt. Si enim esset aliqua potentia passiva in materia cui non responderet aliqua potentia activa in rerum natura, illa potentia passiva esset superflua, ut Commentator dicit, com. lxxxii. & ideo materia prima non est receptibilis majoris quantitatis quam quantitatis mundi: propter quod in III. Physic. à text. lx. usque ad lxxi. dicitur, quod non est possibile magnitudinem augeri in infinitum, loquendo naturaliter. Tertio quia si materia eadem quæ primo sub parvis dimensionibus erat, sub majoribus dimensionibus fiat, non potest hoc accidere nisi per rarefactionem, ut dictum est: & iste modus non competit in augmentatione corporis humani, ut per se patet. Quarto quia quando loquimur de materia existente in hac re, jam dimittimus considerationem materiæ absolute: non enim potest accipi illud materiæ quod est in hac re, nisi secundum illud quod est divisum ab illa parte materiæ quæ est in re alia. Divisio autem non accidit materiæ nisi secundum quod consideratur sub dimensionibus, saltem interminatis: quia remota quantitate, ut in I. Physic. text. xv. dicitur, substantia erit indivisibile. Unde consideratio materiæ hujus rei est consideratio non materiæ absolute, sed materiæ sub dimensione existentis. Unde non oportet ut quod conuenit materiæ, in quantum est absoluta, & prima, conueniat materiæ existenti in hac re, prout accipitur ut in hac re existens: quia ex hoc ipso receditur à consideratione materiæ primæ. Unde materia quæ est in hac re existens, non est in potentia ad totam quantitatem mundi, sed usque ad determinatum quid, quantum per rarefactionem potest consequi; & hoc non excedit raritatem ignis, quia nulla raritas potest esse major, ut Commentator in IV. Physic. com. lxxxiv. dicit. Et sic patet quod hæc positio tam in se falsitatis continet, quam etiam in modis adinuenis ad ejus expositionem.

Et ideo aliorum positio est, concedentium quidem

dem cum primis quod aliquid est in humano corpore, & similiter in aliis corporibus quæ nutriuntur, quod quidem semper manet fixum toto tempore vitæ, secundum determinatam partem materiæ, in quo principaliter veritatem humanæ naturæ consistere dicunt, aliquid autem est aliud quod superfluit, & refluit; id est advenit, & consumitur: hoc autem est quod ex cibo generatum est. Differunt tamen à primis in hoc quod dicunt, sumptionem alimenti non solum in fomentum caloris naturalis necessariam esse, sed etiam in augmentum quantitatis: non enim posset illud quod primo à generantibus dictum est, quod quidem permanens esse dicunt, (1) in tantam quantitatem extendi, quanta est quantitas humani corporis, nisi adderetur aliqua materia quæ simul cum materia præexistente quantitatem totam reciperet sine aliqua rarefactione. Et hoc quidem quod est permanens, dicitur diffundi per totum, & similiter illud quod est adueniens, & recedens; ad modum qui contingit in mixtione vini, & aquæ: vinum enim non excrescit in majorem quantitatem nisi per additionem aquæ, quæ quidem in vinum conuertitur: ita tamen quod virtus vini semper in illa parte materiæ manet magis quæ prius sub forma vini inerat. Et secundum hoc ponunt isti, quod illud quod est ex alimento generatum, non est omnino alienum à veritate humanæ naturæ, sicut primi dicebant; sed est secundario ad ipsam pertinens, secundum quod est necessarium ad debitam quantitatis complementum: unde non totum hoc in resurrectione deponetur quod ex alimento conuersum est; sed reservabitur tantum quantum expedit ad perfectionem quantitatis. Et hujusmodi positionis primus auctor inuenitur Alexander Commentator, ut Averroes in Libro de generat. comm. xxxix. dicit. Sed istud non videtur veritatem habere: cum enim de natura caloris sit ut humorem consumat, caloris dico ignei, oportet quod calor ignis, qui est instrumentum animæ vegetabilis, ut in II. de Anima, text. xl. dicitur, indifferenter, quantum in se est, omne humidum consumat: unde non potest efficax ratio inueniri quare aliquod humidum signatum permaneat in tota vita. Et præterea secundum hoc sumptio alimenti non esset primo & per se necessaria ad restaurationem deperditi, sed solum ad augmentum. Constat tamen quod opus augmenti præsupponit opus nutrimenti, & illud tantum nutritur in quo deperditio facta est (2) ejus quod per nutrimentum restauratur: unde si non esset consumptio nisi ejus quod propter augmentum principaliter assumitur, nutrimentum non esset nisi per augmentum. Et præterea concedi potest quod illud quod in carne conuertitur per virtutem formativam in principio generationis, ad majorem perfectionem speciei perducitur quam illud quod postmodum per actum nutritivæ conuertitur; cum semper inueniatur generatio alicujus quod per se generatur, esse perfectior quam illa qua aliquid accipit speciem alicujus per immixtionem ad illud: quia quod immiscetur, aliquo modo alterat naturam ejus cui admiscetur, ut patet in vino quod in vite generatur, & quod ex admixtione aquæ ad vinum acerescit. Et sic etiam videmus quod ex humido nutrimentali adueniente immutatur corpus nutritum, ut assequatur in aliquo conditiones ciborum ex quibus nutritur. Oportet tamen

In II. Sent. Tom. II.

(1) Nicolai: in tantam quantitatem extendi, sine aliqua rarefactione, quanta est quantitas humani corporis, nisi adderetur aliqua materia, quæ simul cum materia præexistente quantitatem istam reciperet: & alioquin sensum legitimum esse inficiatur. (2) Al. deest ejus. (3) Al. Assumit. non debet advenire nisi in actu pot. tot

ad hoc quod fiat nutritio, vel augmentum, quod hoc carnis quod ex cibus generatum est, cum carne præexistente misceatur. Quodcumque autem fit mixtio aliorum differentium vel secundum contrariam qualitatem, vel secundum puritatem, & impuritatem ejusdem, mixtione completa, non retinet unumquodque qualitatem propriam: alias admixtio esset ex rebus salvatis, & esset compositio tantum: sed oportet ut totum simul unam formam accipiat, quæ est medium; ut patet in mixtione vini & aquæ: quia post mixtionem non remanet ibi aliqua pars signata habens completam virtutem vini, & aliquid habens eam debiliter; sed totum est habens eam mediocriter: unde nec est possibile ut completo actu nutritivæ, & augmentativæ, remaneat aliquid signatum, complete participans naturam speciei, & aliquid incomplete, sed totum uniformiter. (3) Assumunt etiam in assertionem suæ opinionis distinctionem Philosophi, I. de gener. text. xxxv. de carne secundum speciem, & secundum materiam, & Medicorum de humido nutrimentali, & radicali. Sed quod neutra earum pro eis faciat, in responsione ad argumenta patebit.

Tertia positio est quam ponit Averroes in I. de generat. comment. xxxv. dicens, quod nihil materiæ potest accipi in corpore signatum, quod sit fixum, & permanens; sed totum quicquid est in corpore, potest dupliciter considerari: vel ex parte materiæ, & sic non est permanens; vel ex parte formæ, & speciei, & sic est permanens. Comparat enim Aristoteles in I. de generat. text. xxxv. transmutationem cibi in carnem adustioni lignorum. Videmus enim quod si ignis accendatur, & continue ligna addantur, secundum quod alia constimantur, forma ignis semper manebit in lignis; sed tamen materia quælibet consumitur, alia materia sibi succedente, in qua species ignis salvabitur: & secundum hoc, etiam illud quod pertinet ad speciem & formam carnis semper manebit; quamvis illud quod recipit hanc formam, continue consumatur, & restauratur. Hæc autem positio differt à duabus primis in hoc quod non ponit aliquid materiæ posse signari quod semper maneat; sed qualibet pars signata, ex hoc quod est materiæ in ipsa, habet quod fluat, & refluat; ita tamen quod illud quod est formæ, semper maneat. Primæ vero opiniones ponebant aliquid materiæ signatum semper esse permanens, in quo primo & principaliter veritas humana consistebat. Et etiam in hoc differt, quia prima opinio ponebat alimentum nullo modo in veritatem naturæ conuerti; secunda autem ponebat conuerti quidem in id quod est secundo de veritate humanæ naturæ, sed non primo; hæc autem tertia ponit conuerti in illud quod simpliciter & primo est de veritate humanæ naturæ: quamvis enim illud quod primo in carnem conuersum est, perfectius sit speciem carnis assecutum quam illud quod ex cibus aggeneratur; tamen adueniente cibo, in fine digestionis fit admixtio, ut totum uniformiter veritatem speciei suscipiat sine aliqua distinctione: & secundum hoc etiam patet quod oportet in resurrectione tantum de eo quod ex alimento aggeneratum est, resurgere, quantum pertinet ad complementum debitæ quantitatis. Et huic positioni inter omnes magis consentio sine præjudicio aliarum.

Ad primum ergo dicendum, quod ex illa auctoritate

(3) Al. sicut. (4) Al. justitiæ. (5) Al. in actu, quamvis &c.

rate non potest haberi quod de eo quod per os assumitur, nihil remaneat quod in veritatem carnis transeat: quia hæc dictio *omnis* non designat totum integrale, sed totum in quantitate: unde non oportet quod totum per secessum emittatur, sed quod de quolibet aliquid secedat: & hoc est necessarium, quia oportet puri ab impuro separationem fieri; nullus autem cibus assumitur in quo non oporteat aliquid impuritatis esse ex hoc quod in principio est dissimilis: unde si ad similitudinem reduci debeat, oportet quod tollantur illæ partes secundum quas dissimilitudo erat. Verbi gratia, si in cibo dominantur partes terrestres magis quam in eo quod nutritur, oportet id quod terrestre est removeri, & quod subtilius est assumi: & similiter etiam quæcumque partes magis dominantur.

Ad secundum dicendum, quod secundum tertiam opinionem non est diversa caro secundum materiam distincta, quæ dicitur caro secundum materiam, & caro secundum speciem; sed eadem secundum numerum caro dicitur secundum speciem, in quantum participat formam, & proprietates consequentes speciem; sed secundum materiam dicitur, in quantum ex materia consistit. Et quod hic sit intellectus Aristotelis, patet ex verbis Commentatoris exponentis hoc modo, & iterum ex verbis Philosophi in littera positus: dicit enim, quod hoc modo est distinguere quod est secundum speciem, & secundum materiam in carne, & osse, sicut & in unoquoque alio quod habet formam in materia. Constat autem quod talis distinctio non potest fieri in lapide, & aqua, ut dicatur pars secundum speciem quæ ex primis generantibus tracta est, & pars secundum materiam quæ ex nutrimento advenit. Et ita patet quod nec in carne, & osse hoc intelligendum est, sed modo prædicto: unde objectio procedit ex malo intellectu verborum Philosophi.

Ad tertium dicendum, quod, secundum Medicos, humidum quod ex primis generantibus trahitur, non oportet ut dicatur radicale, quia semper remanet distinctum secundum materiam, & proprietatem ab humido ex alimento aggenerato; sed quia calor naturalis in illo humido prius existit, & illud quod permiscetur, non participat speciem, nisi ex virtute illius humidi cui permiscetur, unde est quasi radix totius illius quod postmodum ex alimento convertitur, non autem ita quod utrumque humidum post finem digestionis ultimæ distinctum remaneat; sed totum permixtum accipit unam proprietatem; & utraque materia, scilicet quæ prius suberat primo humido, & secundo advenienti, æqualiter se habet ad hoc quod transeat, & ad hoc quod virtutem speciei participet. Nec dicitur consumi humidum radicale propter discessum talis materiæ, sed propter hoc quod non permanet proprietas quam totum mixtum habebat ex virtute primi humidi: tunc enim non potest fieri restauratio, quia virtus speciei non manet; sicut etiam si tota manus amputetur, non restauratur per nutrimentum, quia non manet virtus speciei determinata huic organo: & propter hanc etiam causam dicuntur quedam membra ex humido radicali composita, non quod nihil nutrimenti in substantiam illorum membrorum transeat, cum quodlibet membrum corporis proportionabiliter augeatur; sed quia in illis membris principaliter virtus speciei consistit, quæ est ex humido radicali: nec potest aliqua abscissio ab eis fieri quin auferatur virtus speciei quantum ad aliquam partem determinatam; & propter hoc etiam talia membra decisa non sanantur.

Ad quartum dicendum, quod cum illud quod advenit ex alimento aggeneratum, sit permixtum ei quod prius erat, & similiter unum effectum ex ambobus sit, semper fit deperditio in utroque proportionaliter: unde oportet quod & de utroque remaneat proportionaliter: & ideo nunquam contingit quod totum illud quod prius erat, abscedat, ita quod nihil prioris materiæ remaneat; sed semper manet aliquid, & illud quod advenit, est unum cum eo quod præerat, effectum: & ideo est materia una, & individuum unum per totam vitam; sicut patet etiam in igne qui nutritur lignis; semper enim manet unus numero ignis, quamvis aliquibus lignis appositis alia consumantur: quia illud quod advenit, semper efficitur unum cum eo quod præerat, & magis esset simile, si fieret commixtio secundum totum, sicut est in nutrimento. Secus autem esset, si ex materia adveniente generaretur ignis, vel caro seorsum: tunc enim propter omnimodam diversitatem materiæ esset etiam diversitas secundum numerum.

Ad quintum dicendum, quod illud quod ex nutrimento aggeneratur, non ita perfecte consequitur naturam speciei, sicut illud quod primo per virtutem formativam in carnem, vel os conversum est: tum quia prima generatio erat carnis secundum se, secunda autem est carnis in alio quasi per commixtionem: tum etiam quia quanto virtus animæ magis diffunditur, & spargitur, debilior redditur; ut patet in corde, quod quanto majus est, tanto minus calidum est: unde animalia habentia magnum cor sunt timida naturaliter, ut Philosophus in Lib. XIII. de animalibus, & Lib. III. de par. animal. cap. iv. dicit: & ideo aliquo modo est extraneum, & propter hoc permixtum ei quod prius erat, est causa debilitatis virtutis, sicut aqua admixta vino, ut ponit exemplum Philosophus in I. de generat. ubi sup. & ideo ad ultimum oportet quod sequatur diminutio, & corruptio.

Ad sextum dicendum, quod modus ille, scilicet per multiplicationem materiæ, non est possibilis ad minus naturæ; quæ quoniam non secundum se totam agit, sed secundum formam tantum, ideo multiplicat tantum formam, & non materiam: & propter hoc ut opus naturæ servaretur, oportuit modum illum in augmento esse qui virtuti naturæ competat.

Ad septimum dicendum, quod omnia quæ sunt ejusdem speciei, operatione naturali uno modo suam perfectionem consequuntur. Si tamen unus naturaliter id consequatur, & alius per miraculum, non erit idem modus; sicut in cæco nato qui per miraculum illuminatur, qui alio modo habet visum ab eo qui videns nascitur. Ita etiam illi qui pueri moriuntur, per miraculum ad debitam quantitatem perveniunt. Nec tamen oportet quod illud miraculum fiat per multiplicationem materiæ, sed per additionem exterioris materiæ. Qui autem usque ad perfectam ætatem vivunt, naturali operatione ad perfectam quantitatem perveniunt. Unde non oportet quod sit utrobique idem modus; & si esset idem, non sequeretur quod hoc esset per multiplicationem materiæ.

ARTICULUS II.

Utrum semen decidatur ex eo quod generatur ex alimento.

I. P. quæst. cxix. art. 2.

1. **A**d secundum sic proceditur. Videtur quod semen non sit ex eo decisum quod ex ali-

mento aggeneratum est. Augustinus enim dicit, Lib. X. sup. Gen. ad lit. cap. xviii. xix. xx. quod secundum corpulentam substantiam omnes fuimus in Adam, & etiam secundum seminalem rationem, præter Christum, qui in eo tantum secundum corpulentam substantiam fuit. Sed corpulenta substantia nostra non venit à parentibus nisi mediante semine. Ergo oportet quod semen quod ex primo parente traducitur, non sit ex eo decisum quod ex alimento conversum est, sed ex eo quod ipse à suo parente accipit, ut sic corpulenta substantia nostri corporis à primo parente decisa inveniatur.

2. Præterea. Secundum Damascenum, Lib. I. de orth. Fid. cap. viii. generatio est opus naturæ, ex substantia generantis producens id quod generatur. Sed illud quod est superfluum alimenti, non est de substantia generantis. Ergo si ex hoc tantum generatio fieret in hominibus, non esset vera generatio.

3. Præterea. Ex subtractione alicujus superflui non sequitur alicujus debilitatio, sed magis alleviatio. Ex seminis autem emissionem debilitatur generans. Ergo semen non est ex superfluo alimenti, sed ex ipso humido radicali decisum.

4. Præterea. Filius pro tanto assimilatur patri magis quam alii homini, quia generatur ex semine quod ab eo traducitur. Sed natus quandoque non solum patri, sed etiam avo assimilatur, vel proavo etiam usque ad multas generationes, ut Philosophus in XV. de animalibus (a) VII. de part. animal. cap. vi. & IV. de gen. anim. cap. iiii. dicit. Ergo oportet quod semen exeat non solum à patre, sed etiam ab avo, & proavo. Sed humidum nutrimentale nunquam fuit nisi in patre. Ergo non est ex humido (1) semen decisum, sed magis ex illo radicali quod patet ab avo traxit, & avus à proavo.

5. Præterea. Id quod est de substantia alicujus, magis est proximum sibi quam hoc quod est ab ejus substantia alienum. Sed id quod est ex alimento conversum, non fuit radicaliter de substantia ipsius generantis, fuit autem de substantia radicali alicujus animalis, cujus carnes comestæ sunt, ut bovis, & porci. Ergo major erit cognatio, & similitudo ad bovem, & porcum, quam ad patrem suum. Hoc autem est inconveniens. Ergo semen non est ex humido nutrimentali decisum.

6. Præterea. Sit ita quod aliquis tantum ex carnibus humanis vescatur, & ut quæstio sit gravior, ponatur etiam quod ex ipsis embryis etiam generet aliquem, qui etiam simili modo nutriatur. Inde sic arguo. Humidum radicale cujuscumque hominis est illud quod ex parentibus traxit. Si ergo semen ex quo conceptus est iste natus, ex humido nutrimentali sit, humidum radicale ejus oportet quod sit de substantia aliorum quorum carnes comestæ sunt. Si ergo, secundum Augustinum, Lib. XXII. de Civ. Dei cap. xx. resurget caro comesta ab aliquo, in eo in quo primo fuit, tunc totum humidum radicale resurget in illis quorum carnes à patre ejus comestæ sunt: & similiter humidum nutrimentale, quorum carnes ipse comedit. Ergo nihil istius resurgeret; & sic non omnium esset resurrectio, quod est contra fidem nostram. Ergo impossibile est quod semen ex humido nutrimentali sit decisum; & ita non videtur

In II. Sent. Tom. II. cap. xxi. articulo 2. ad 1. ad 2. ad 3. ad 4. ad 5. ad 6. ad 7. ad 8. ad 9. ad 10. ad 11. ad 12. ad 13. ad 14. ad 15. ad 16. ad 17. ad 18. ad 19. ad 20. ad 21. ad 22. ad 23. ad 24. ad 25. ad 26. ad 27. ad 28. ad 29. ad 30. ad 31. ad 32. ad 33. ad 34. ad 35. ad 36. ad 37. ad 38. ad 39. ad 40. ad 41. ad 42. ad 43. ad 44. ad 45. ad 46. ad 47. ad 48. ad 49. ad 50. ad 51. ad 52. ad 53. ad 54. ad 55. ad 56. ad 57. ad 58. ad 59. ad 60. ad 61. ad 62. ad 63. ad 64. ad 65. ad 66. ad 67. ad 68. ad 69. ad 70. ad 71. ad 72. ad 73. ad 74. ad 75. ad 76. ad 77. ad 78. ad 79. ad 80. ad 81. ad 82. ad 83. ad 84. ad 85. ad 86. ad 87. ad 88. ad 89. ad 90. ad 91. ad 92. ad 93. ad 94. ad 95. ad 96. ad 97. ad 98. ad 99. ad 100.

(1) Forte addendum isto, id est nutrimentali. (2) Al. ergo. Ex Edit. P. Nicol. (a) Sive, ut supra, juxta novam distinctionem Lib. I. de gen. anim. cap. xviii. cui etiam simile quiddam Lib. iv. cap. iiii. indicatur: non, sicut prius fictive indicabatur ad marginem, Lib. VII. de part. animal. cap. vi.

esse superfluum alimenti.

Sed contrarium hujus ostendit Philosophus in XV. de animalibus, ut supra; duabus rationibus, & tribus signis.

Prima ratio est per divisionem sic. Quidquid est in corpore animalis, vel est naturaliter, vel occasionaliter, sive per accidens in eo. Sed semen non est occasionaliter, sicut sunt putredines, & sanies vulnerum: quia illud quod est per accidens, non consequitur totam speciem, sicut semen in omnibus invenitur. Ergo est ibi naturaliter. Sed omne quod est naturaliter in corpore, vel est pars, sicut caro, & nervus; vel est superfluum, sicut lac, & urina, & hujusmodi. Sed semen non est pars, cum non sit nec pars organica, quia semen est simile in toto, & in parte, quod partibus organicis non convenit: nec iterum est de partibus consimilibus, cum in constitutionem membri non veniat, sicut partes consimiles in constitutionem membrorum organicorum. Restat ergo quod sit superfluum alimenti.

Secunda ratio est, quia si semen non est superfluum, oportet quod sit dissolutum à membris. Omne autem resolutum, vel decisum ex animali, corrumpitur, & amittit naturam suam. Ergo semen amitteret naturam membrorum, ex quibus decideret, & virtutem; & ita virtute seminis non posset generari aliquid simile illis membris: quia oportet quod forma generati sit in generante, ad minus virtualiter.

Item ponit tria signa ad hoc ibidem: quorum unum est quod nullum dissolutum à corpore, habet locum determinatum in corpore, sed vagatur per corpus. Semen autem habet determinatum locum in corpore, sicut alia superfluitates, scilicet vias seminales, & quasi in eadem parte corporis, in qua sunt loca aliarum superfluitatum. Ergo semen est superfluum, & non decisum de substantia membrorum.

Secundum signum est, quia natura alleviatur per emissionem superflui, nunquam autem per dissolutionem ejus qui est de substantia membri. Sed quandoque alleviatur natura per emissionem seminis. Ergo semen non est quid dissolutum à membris, sed superfluum.

Tertium signum est, quod ubi invenitur minus de superfluo alimenti, ibi invenitur minus de semine: & propter hanc causam in pueris non est semen, quia superfluum nutrimenti in augmentum convertitur: propter hanc (2) etiam causam etiam pingues homines sunt pauci seminis, & pauca generationis, quia superfluum alimenti convertitur in pinguedinem: propter hoc etiam animalia majoris quantitatis habent minus de semine secundum proportionem corporis sui, & sunt pauca generationis, quia indigent multo nutrimento; & ideo parum potest in eis esse superfluum, ut patet in elephantie. Si autem esset semen dissolutum, deberet esse e contrario: quia ex majori corpore potest fieri major dissolutio. Ergo semen non est quid dissolutum, sed superfluum alimenti.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc sunt tres opiniones.

Una opinio est, quod semen est quedam pars decisa.

pp 2

(1) Forte addendum isto, id est nutrimentali. (2) Al. ergo. Ex Edit. P. Nicol. (a) Sive, ut supra, juxta novam distinctionem Lib. I. de gen. anim. cap. xviii. cui etiam simile quiddam Lib. iv. cap. iiii. indicatur: non, sicut prius fictive indicabatur ad marginem, Lib. VII. de part. animal. cap. vi.